

## CONRAD CELTIS

## EPODES (486 vers)

AD CAESAREM FRIDERICUM, DUM CONTRA TURCOS PRINCIPES CONVOCASSET.

E\_1 v.1 Aurata nobis jam rediere tempora  
 2 laudata priscis vatibus,  
 3 dum Fridericus Caesar invictissimus  
 4 vocat ad senatum principes,  
 5 ut hostium nunc imminentem turbinem  
 6 prosternat altis viribus.  
 7 Sic fertur olim convocasse Juppiter  
 8 suos in axe caelites,  
 9 dum turba fratrum terra quos creaverat,  
 10 caelestibus minas dabat.  
 11 Hic Ossam, et hic dum Pelion audax corripit,  
 12 jaculans Olympi ad verticem,  
 13 et jam propinquam viderant Phoebi rotam,  
 14 et fixa caelo sidera.  
 15 Mox voce vasta dum jubet Typhoeus  
 16 turbari de solio Jovem.  
 17 At ille blandus ore torvos intuens  
 18 superba risit pectora.  
 19 Manu rubenti Cyclopum ferocium  
 20 trisulca poscens fulmina.  
 21 Et mox coruscum utrimque caelum personat  
 22 Tonantis atro fulgure.  
 23 Trinacriae et sub rupibus terra editos  
 24 saevis tumulavit ignibus.  
 25 Sic Caesar incliti senatus arbiter,  
 26 coetu pio cum principum,  
 27 velis precamur hostis immitissimi  
 28 frenare saevos impetus.  
 29 Nostro propinqui qui polo jam saeviunt,  
 30 summum lacescentes Jovem.  
 31 Dum cernimus caelo vagabunda sidera  
 32 certis oriri legibus.  
 33 Dum piscis altis in vagatur amnibus,  
 34 crescunt vel hortis gramina.  
 35 Dum flexuosis Ister ibit cornibus,  
 36 Euxina pulsans litora.  
 37 Laudes tuas tollemus alta ad aethera  
 38 tuis triumphis supplices.

## IN MALEDICUM LUSOREM LOQUITUR TALUS.

E\_2 v.1 Quid me immerentem latro vexas tesseram  
 2 caecus furenti pectore ?  
 3 Quid quod tonantis imprecaris fulmina  
 4 tristesque morbos pestium ?  
 5 Quid ore foedas impudenti numina  
 6 et impiorum carceres ?  
 7 Quid saeve torques frontis atrae lumina,  
 8 ut ursus aut ferox aper ?  
 9 Non causa sum latro tuae vesaniae,  
 10 nec dignus ira numinum.  
 11 Seu quina gestem, vel quaterna stigmata,  
 12 vel ultimum senarium,  
 13 sive unitates computabis ultimas,  
 14 autore te sic ludimus.  
 15 Laetis studebis ergo verbis ludere,  
 16 vesana cogens pectora.  
 17 Ni feceris frenans temerarias manus,  
 18 te quarta vexo Mania.

## DE LUSORE QUI IN LUDO SIBI EVELLI FECIT DENTES.

E\_3 v.1 Lusor sedebat pertinaci spiritu  
 2 pecuniarum prodigus,  
 3 donec crumenis omnis exhaustus foret  
 4 origo nummus litium.  
 5 Exuta mox deponit atrox pallia,  
 6 cultros et enses trusiles.  
 7 Quae cuncta postquam ludioni ademerat  
 8 Fortuna versans omnia.  
 9 Mox quae cutem vicina vestis texerat  
 10 femoris, pedumque vincula.  
 11 Sorti reponit, cuncta poscens numina,  
 12 lucro ut faverent praesides.  
 13 Sed nullius cum senserat praesentiam,  
 14 divis perosus furcifer,  
 15 sese exsecrabat nudus omni corpore,  
 16 frendens minaci murmure.  
 17 Tandem reclusis pandit ora rictibus,  
 18 dentesque caesivos tenet.  
 19 Hos o sodalis nunc mihi fidissime  
 20 lucrove damno suscipe.  
 21 Quos cum furenti perdidit vesania  
 22 evulsit atrox forpice.  
 23 Clamans cruentus, hos caninos insuper  
 24 tibi pono perversissime,  
 25 adversa quos si sors mihi nunc dempserit,  
 26 statuum molares uvidos.  
 27 Nec terrearis, liberali protinus  
 28 tibi fronte solvam singula.  
 29 Nam dentibus natura cunctis prodiga  
 30 duos decem et ter contulit.  
 31 Haec elocutus sanguinolento gutture,  
 32 veniunt ministri carceris,

33 furvam trahentes sub speluncam perditum,  
 34 crebroque pulsant verbere.  
 35 Et rosidam dum sol reduxit lampadem,  
 36 ab urbe flagris ductitant.

FABULA DE INVIDO ET CUPIDO.

E\_4 v.1 Invidus et cupidus diverso sidere nati,  
 2 a rege larga postulabant munera.  
 3 Rex his pollicitus, quod primus ferret, id alter  
 4 duplicato felix obtineret munere.  
 5 Sed mox exoritur saevo cum murmure rixa,  
 6 prior quis esset inter ipsos ordine.  
 7 Sorte placet tandem tractare volubile fatum,  
 8 vellet ne claro se intueri sidere.  
 9 Invidiae postquam stimulis arriserat acto,  
 10 clamat furenti concitatus pectore.  
 11 Ille mihi dextri terebretur luminis orbis,  
 12 avarus ille mox duos ut eruat.  
 13 Rex utriusque videns oppletas crimine mentes,  
 14 utroque poenam postulavit debitam.

AD VENEREM, TRES AMORES SUOS COMMEMORANS.

E\_5 v.1 Quid mea sollicitis infestas pectora curis,  
 2 o diva fluctuoso nata gurgite ?  
 3 Cum modo septeno Celtis tibi milito lustro  
 4 tuus dies noctesque fidus armiger.  
 5 Barbara Sarmaticis Hasilina experta sub oris,  
 6 primis meis amoribus nunc nobilis.  
 7 Vix mea bis denas hiemes tunc viderat aetas  
 8 et sex, sub annis succulentis militans.  
 9 Elsula fluctivagum dein decantata per Istrum,  
 10 munus juventae fortioris torserat.  
 11 Sed cum Rhenanas nuper vagus erro per oras,  
 12 aetas virilis Ursulae me vinxerat.  
 13 Ursula lascivis mulcens mea pectora verbis,  
 14 vita licentiore cogens vivere.  
 15 Dum jubet ut fluidae capiamus gaudia vitae,  
 16 Bacchi calentis subministrans pocula.  
 17 Inde mihi blandum praebet sub nocte soporem,  
 18 amplexibusque perfruor felicibus.  
 19 Cumque suo captum pectus suspirat amore,  
 20 altusque pulsat spiritus praecordia.  
 21 Mox mihi blandiloquis infigit basia labris,  
 22 luduntque linguis ora sensim mutuis.  
 23 Non secus ut blandum referunt cum sidera solem,  
 24 sub axe verno dum redit Favonius,  
 25 hibernis nivibus glacies resoluta liquescit,  
 26 madentque saxa percitis humoribus,  
 27 Ursula sic tota mollit mea pectora nocte,  
 28 Rheni decus puella formosissimum.

## DE INFANTE AD IGNEM IOCO.

E\_6 v.1 Exsectus infans matris ex ergastulo,  
 2 Salamine vivas laetior.  
 3 Velut Lyaeo bis tibi nativitas  
 4 per fata fertur aspera.  
 5 Sed dispar utriusque Clotho fecerat  
 6 primordiorum stamina.  
 7 Nam patrium Nysaeus expertus femur  
 8 menses statutos conficit.  
 9 Te mater ad sextam ferebat Cynthiam,  
 10 reliquas sed olla perficit.  
 11 Prunae calentis olla dum stetit foco,  
 12 uterique reddebat vices.  
 13 Repleta quae lactis fuit pinguedine,  
 14 et unctuosa smegmate.  
 15 O vita curis subjacens gravissimis,  
 16 et tristius nos deserens.

## AD HENRICUM CUSPIDIANUM, QUOD NIHIL VIVACIUS ET CLARIUS LITTERIS SIT.

E\_7 v.1 Quondam monebas scriberem quid carmina  
 2 Henrice nostra conferant.  
 3 Dum fata nos suprema contumulaverint  
 4 lucemque caram clauserint.  
 5 Tunc mox per ora vulgi fama spargitur,  
 6 quot quisque nummos liquerit.  
 7 Hinc unius cujusque vita quaeritur  
 8 quali sit acta tramite.  
 9 Est qui studebat ampliandia aedibus,  
 10 et comparandis censibus.  
 11 Absentibus quos Roma avara sordidis  
 12 suis tribuit Simonibus.  
 13 Hortosque quos piscosus amnis irrigat,  
 14 silvasque densas implicat.  
 15 Armenta equorum fortium quibus educat,  
 16 oves, boves, et bucculas.  
 17 Alius relinquit bracteatas laminas,  
 18 fusaque in auro imagines.  
 19 Possessor alter hos post mortem ut auferat,  
 20 vel ventre mox deglutiatur.  
 21 Est alter ut vivat perenni tempore  
 22 amata gignit pignora.  
 23 Nomen futurum quis sibi per saeculum  
 24 sperat per omne cognitum.  
 25 Obliviosum cuncta sed tempus vorat,  
 26 nummos, agros et fornices.  
 27 Prolemque delet, et genus clarissimum,  
 28 ni dona servent carminum.  
 29 Testatur hoc quondam beata Graecia,  
 30 et Roma victrix gentium.  
 31 Quae praeter ista nil dedere posteris,  
 32 quam quae leguntur chartulis.  
 33 Haec me perennem provehent ad gloriam,  
 34 aevoque longo prorogant.

35 Cum corpus hoc et ossa nunc vigentia  
 36 saxo cubent sub frigido.  
 37 Dicet viator, haec sepulcra quem tegunt,  
 38 aeterniora liquerat,  
 39 quam quae rudes et imperiti sordidis  
 40 curant suis laboribus.

QUOD SOLO AMORIS CHRONICO MORBO IN VITA LABORAVERIT.

E\_8 v.1 Jam bis quaterna lustra sano corpore  
 2 Fata mihi dederant, aetate lapsa lubrica,  
 3 dum nulla febris, aut podagra tristior  
 4 presserat incolumem, nec pestis omnibus minans.  
 5 Quos sospitatis esse dicunt praesides,  
 6 jure deos veneror, gratesque dico plurimas.  
 7 Nec latro tot regionibus volubilem  
 8 dum peregrinus eram bis quinque in annos, abruit.  
 9 Tutum suo per barbaras duxit plagas  
 10 Numine Mercurius, qui vatibus favet suis.  
 11 Nec ursus umquam vel lupo, vel saetiger  
 12 corpora dissecuit, vel dente vulnus intulit,  
 13 canis semel sed ut mihi praedixerat  
 14 plena furoris anus, suras momordit pendulas.  
 15 Ad judicem me nemo etiam citaverat  
 16 aera locata petens, injuriis vel conquerens.  
 17 Nec quisque testem me vocavit conscium  
 18 esse sui sceleris, vel veritatis lubricum.  
 19 Prorsus beato vita cursu fluxerat,  
 20 hactenus incolumem sic me secutus Juppiter,  
 21 sed temporalis quod queror. Morbus mea  
 22 pectora semper habet, membrisque totis insidet.  
 23 Quem nullus umquam succus aut herba impotens,  
 24 nec peregrinus odor a mente nostra dispulit.  
 25 Non ipse qui memoratur aegrorum pater,  
 26 sive Machaonius, vel clarus arte Hippocrates,  
 27 sed sola quae me sauciavit candidis  
 28 Ursula luminibus, me sospitem reddet mihi.  
 29 Haec si paroxysmus tremore percito  
 30 membra mihi quateret, blando fugaret osculo.

IN BASSAREUM MEDICUM.

E\_9 v.1 Quid canibus similis rabido me murmure laedis,  
 2 vastis premens latratibus ?  
 3 Denigrasque meam rabioso gutture famam,  
 4 nostris camenis obstrepens.  
 5 Putrida cui sanies confuso felle veneni  
 6 jecur lacescit invidum.  
 7 Invidiaeque malum pallor cui plurimus ore  
 8 pectus resignat tabidum.  
 9 Quo mihi saepe novae praestabis semina laudis,  
 10 victoriasque plurimas.  
 11 Crescit enim virtus dum duris casibus acta est,  
 12 marcens sine adversario.

13 Quod si de Roma non pulsus Naso fuisset  
 14 Ponti remensus litora,  
 15 non tot liquisset praeclara volumina vates,  
 16 cunctis legenda saeculis.  
 17 Et Maro si patrios non amisisset agellos,  
 18 ejus nec essent carmina.  
 19 Et fuga quae totiens Ciceronem exegit ab Urbe  
 20 excussit ingenii faces.  
 21 Sic me dum variis jactat fortuna periculis,  
 22 virtutibus viam facit.  
 23 Nam veluti parva scintilla nascitur ignis,  
 24 forti excitata anhelitu.  
 25 Sic invicta feris virtus agitata procellis  
 26 suis calescit viribus.  
 27 Utque ferox Mavors consurgit major in arma,  
 28 ut hostis insolens ferit.  
 29 Sic me dum lingua caedis truculentus iniqua,  
 30 tibi tela concitas mea.  
 31 Vulnera quis toto tibi lata canentur in orbe,  
 32 quae nemo sanet clinicus.  
 33 Nec tibi vulnera pollens chirurgicus arte  
 34 notas cicatricum levet.  
 35 Ast hedera et laurus viridanti ut semper honore  
 36 in frondibus florent suis.  
 37 Sideris hiberni quos nec violentia laedit,  
 38 aestivus aut solis calor.  
 39 Sic aeternus honos erit, et vaga gloria vati,  
 40 ignava ridens pectora.  
 41 Nullaque de nostris edentur carmina libris,  
 42 quin partem in illis occupes.

DE ROSINA AD GRACCUM PIEREUM POETAM.

E\_10 v.1 Rosina nuper dum suis amplexibus  
 2 mihi se locasset per fidelem nuntium,  
 3 ut verna vati solveret fastidia,  
 4 maerore mentis languidae scatentia,  
 5 rosam putabam me virentem amplectier,  
 6 quae rore veris succulenta caelicam  
 7 spiraret auram, rorulento gramine.  
 8 Velut videmus rura per virentia  
 9 rosas tumere, spirat ut Favonius,  
 10 qui prata mille vestit in coloribus.  
 11 Quos inter alma mater, et ferox puer,  
 12 cum Gratiis tribus pererrat, roscida  
 13 capita implicantes terreis sideribus.  
 14 Talem putabam me rosam complectier,  
 15 quae verna vati tolleret fastidia.  
 16 Sed falsus heu decora per vocabula,  
 17 quae longa noctis attulere taedia.  
 18 Nam strata mecum lectulo dum concubat,  
 19 meis lacertis implicans sua brachia,  
 20 labrisque labra blanda saepe obambulans,  
 21 linguaeque lingulam inserendo mordicus.  
 22 Scortum exoletum, foetidum, turpissimum,  
 23 depuge, spurcum, virulentum, sordidum,

24 foedum, veterosum, impudicum, marcidum,  
 25 vietum, ebriosum, paemosum, putidum,  
 26 in nocte ter quaterque poscens pocula,  
 27 in luce cantharis frequenter assidens.  
 28 Quod compitalibus rubis resederat,  
 29 et mille mutones die uno absterserat,  
 30 centum cucullos, et sacrorum ramices  
 31 centum, et recuticos mille devoraverat,  
 32 vetere et lacuna palpitantes meraserat.  
 33 Hoc prendo monstrum Siculis Cyclopiibus  
 34 aequale, labris egerens anhelitum  
 35 qualem cloaca exhalat atra spiritum.  
 36 Quod corticoso me premebat tergore,  
 37 et hispido velut pistrinx in corpore.  
 38 Rugisque ventris implicabat inguina,  
 39 omasa tanquam centipelli viscere.  
 40 Sed, Gracce, pulchra qui colis vocabula,  
 41 simili caveto ne capiare belua.

IN FONTULANUM IURIS PERITUM, ET CONIUGEM SUAM.

E\_11 v.1 Quidam poetae non amicus integer,  
 2 et Fontulani filius.  
 3 Uxore cujus plena sunt gymnasia,  
 4 ducisque tota curia.  
 5 Locat magistros, lectiones ordinat,  
 6 donatque baccis vertices.  
 7 Hanc quisque doctorum cupiens insignia  
 8 delubra ceu Jovis colat,  
 9 nec negligat, sed munere illam palpitet,  
 10 peplo, vel auri circulo.  
 11 Quot urbs salaces continet meretriculas,  
 12 quo quisve amore langueat,  
 13 an ter quaterque possit, aut plus septies,  
 14 iudex severa quaeritat.  
 15 Noscit magistrum cuncta ferre nomina,  
 16 ceu Mithridates militum.  
 17 Comedat quid, aut sitim quo quisque relevet,  
 18 censor velut considerat.  
 19 Aedes mariti dum petit respublica,  
 20 fornacis intrat concava,  
 21 ut audiat quod quisque mente sentiat  
 22 de cive, vel scholasticis.  
 23 Hanc si plateis quis videbit obviam,  
 24 et non recurvet poplitem,  
 25 mox gestuoso labra vultu exasperans,  
 26 bilem expuit teterrimam,  
 27 nares aduncans, seque torvo lumine  
 28 hostem minatur perpetem.  
 29 Hujus favorem si quis ergo negligat,  
 30 exul petat Pannonias.  
 31 O docta Norici ducis gymnasia,  
 32 quae tanta vexet belua.

## AD GERMANOS POETAS.

E\_12 v.1 Carmina Germano juvenes quae lusimus orbe  
 2 aequae vel superate nostra posteri.  
 3 Illa mihi, patrios cupio dum visere fines,  
 4 sunt parta nostris maximis laboribus.  
 5 Sed neque ego Latios me dicam aequasse poetas,  
 6 aut docta quos tulit viros Hispania.  
 7 Primus ego invexi rudibus mea carmina verbis,  
 8 qui me sequentur, doctiora proferent.  
 9 Ennius in tenera sic lusit carmina Roma,  
 10 Lucretius cum ceteris prioribus.  
 11 Virgilius quorum discussit carmina cuncta  
 12 a vepribus doctus rosas recolligens.  
 13 Ast alii Graios imitati forte poetas,  
 14 comoedias, tragoedias reliquerant.  
 15 In lyricis princeps superans sed Horatius omnes,  
 16 de fonte Graio cuncta vates hauserat.  
 17 Inter Germanos mea sic rogo carmina durent,  
 18 ut Italiam Horatius sub finibus.

## COMPARATIO GLADIATURAE ET MORALIS PHILOSOPHIAE.

E\_13 v.1 Ars militaris nostra tradit corpora  
 2 armis tueri et gestibus,  
 3 docetque pulchris praecavere motibus  
 4 hostis prementis ubera.  
 5 Moralium illa sic Sophia praecipit  
 6 mentem imperare affectibus.  
 7 Nec bella nostris saeviora mentibus,  
 8 quam pestis illa pectoris.  
 9 Nam mens suis dum concitata motibus  
 10 majora miscet proelia,  
 11 quam cum frementi pulsat actus impetu  
 12 aries potentum limina.  
 13 Vel quae calenti saxa jactat pulvere  
 14 bombardam opus Teutonicum.

## SEPTENARIA SODALITAS LITTERARIA GERMANIAE, « PERI TES HEBDOMADAS » SEPTEM CASTRENSIS DANUBIANUS.

E\_14 v.1 Si clara Graeciae recenseo lumina,  
 2 erraticos septem globos vincentia,  
 3 vicinitatis rite munus exsequor.  
 4 Servant Eoas Graius et Getae plagas,  
 5 qua Pontico septem ostiis Ister mari  
 6 illabatur, septemplici haud Nilo minor.  
 7 Hinc nomen est septem datum castrensibus.

## DANTISCANUS VISTULANUS

8 Munita septem est Roma collibus sacris,  
 9 quos inter aedibus superbis arduus  
 10 suum potens Tarpeius extulit caput.  
 11 Musis Palatinus sacer, cavum incolunt  
 12 aves Aventinum, Cupido Caelium.



13 Sed Esquilinus et Quirinalis pium  
14 Jovem vident in Viminalis vertice.

POMERANUS CODONEUS.

15 Metropolitanas ferox Alemannia  
16 urbes habet septem, ut domus Romulea  
17 in collibus septena templa condidit.  
18 Treveris vetusta, et ditior Colonia,  
19 et Salceburgum, Madeburg, Moguntia,  
20 et litorales Arcticum prope circum,   
21 Premensis et Rigensis urbs Sauromatum.

ALBINUS LUNEBURGANUS.

22 Superba Cecropis bifrontis patria  
23 fecunda, quae artes edidit septem sacras  
24 septem sophiae gloriatur lumina  
25 habere, quis septena mundi triplicis  
26 stupenda cedant plurimum miracula.  
27 Pigri Bootae sideri septemplici  
28 vicinus, haec septena lusi carmina.

ALPINIUS DRAVANUS.

29 Sacratum est in orbe septenarium,  
30 informe mundi quo chaos formam induit,  
31 quo Phoebus alto fulsit, et micantia  
32 certa ferebat lege caelum sidera.  
33 Quo terra, pontus, aer, et facta omnia  
34 natura quo completa septimo die  
35 omni quievit a labore conditor.

RHENANUS VANGIONUS, ET MOSELLANUS.

36 Caelo ut recurrunt septem amica sidera,  
37 Terrae suis cyclis et orbibus vagis  
38 mortalia, et nostrum genus regentia.  
39 Sic terra mater omnium ferax tulit  
40 septem viros, quibus superba Graecia  
41 se jactat eruditione maxima  
42 mundum beasse, mente, luce, gloria.

NECARANUS HERCINIANUS.

43 Lector sophos Graios stupere desine,  
44 Achaicis perenne qui vivax agris  
45 dedere nomen, dote Palladis sacrae  
46 monarcha Romanus, potestas Caesaris  
47 septem ducum hoc aevo creatur, dexteris  
48 Germana, vivis quis, virebit gloria,  
49 Rheni et fluenta gloriantur turgidi.

AD PHOEBUM CUR GERMANIAM FUGIAT.

E\_15 v.1 Quid, Phoebe, te vel Cynthius vertex juvat  
2 Delos vel ingens insula ?  
3 Num barbarorum te fugabit horrida  
4 morumque dira immanitas ?  
5 Collapsa, Phoebe, templa sunt sublimia,  
6 quae longius possederas.

7 Tripodas perosas virgo vates deserit,  
 8 maeretque mutum oraculum.  
 9 Vittis recinctos candidus canos senex  
 10 foedavit alto pulvere.  
 11 Quo, Phoebe, lectus pontifex pridem tuus ?  
 12 Quo numen, et sacer furor ?  
 13 Sacramque laurum verticis clari decus  
 14 corrosit, en velox dies.  
 15 Abstrusa rerum fata quis casus regat,  
 16 doctasque linguas alitum.  
 17 Peritus augur spiritu afflatus tuo  
 18 consuerat olim evolvere.  
 19 Quis nunc tuum numen relictum consulit  
 20 ventura fata quid ferant ?  
 21 Num perfidos mortalium genus ad Scythas  
 22 pergemus in fanum tuum ?  
 23 Iterque plenis ibimus periculis  
 24 per tela, perque spicula.  
 25 Quae noxio semper veneno saeviunt,  
 26 letum ferentes concitum.  
 27 An non pudebit rosidam caesariem  
 28 ridere tonsum barbarum ?

AD PHOEBUM UT A TROPICO HIBERNO REDEAT.

C\_16 v.1 Quo fulgurantem, Phoebe, celas lampadem  
 2 claro serenam lumine ?  
 3 Quid ultimum lustrare tardas Caucasum,  
 4 orbisque fines extimos ?  
 5 Quis te morantem detinet ferox amor,  
 6 magnus vel error devium ?  
 7 Huc huc celer flagrante curru labere  
 8 caeli decus pulcherrimum.  
 9 Simulque vernos protinus refer dies,  
 10 et floridos Favonios.  
 11 Pleno redundet mensa dives poculo,  
 12 curas resolvens anxias.  
 13 Frontemque tristem vina laxent fervida,  
 14 et explicit jucundius.  
 15 Phoebi nitentis concinemus verticem,  
 16 et fulgidum flammis caput.  
 17 Jamquam obsoletas instruemus hostias,  
 18 vetusta facturi sacra.  
 19 Certusque sit divinus instigans furor,  
 20 falsoque nil pronuntiet.  
 21 Sic nos quotannis, Phoebe, te vocabimus,  
 22 arisque libemus tuis.  
 23 Et thura flammis concremabimus sacris,  
 24 Sabaea quae dives legit.  
 25 His invitatus, Phoebe, laetus emica,  
 26 vultu relucens aureo.

## IN RHADAMANTHUM MERCENARIAE LINGUAE ADVOCATUM RABULAM.

C17 v.1 Quid Rhadamanthe meis vis nomen habere libellis ?  
2 Tibi tela Phoebi concitans, spicula Apollinea.  
3 Dum te majorem Musis et Apolline dicis,  
4 lingua canina clamitans, gutture et aeriloquo.  
5 Caesar enim viridi mea cinxit tempora lauro,  
6 nostras genas exosculans, nobilem et efficiens.  
7 Inde meis fulvum digitis circumdedit aurum,  
8 antistitem Phoebi creans carmine Apollineo.  
9 Tu venaliciam contendis vendere linguam,  
10 strophos, dolos, fraudes serens gutture nummivoro.  
11 Cum tumido ore tonas completis follibus hostem,  
12 minacibus luminibus, voce, manu, pedibus.  
13 Cumque tuos tetigit sperata pecunia nares,  
14 Mussas beato murmure, et gutture blaeso taces  
15 o te felicem, cui sancta pecunia jura  
16 loqui et tacere praecipit legibus aeriloquis.